



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 237. Venerunt in sanctam ciuitatem. v. 53.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

è monumentis vitæ, exierunt & resurrexerunt, quam verus Messias Iesu
Christus, qui mortuus fuerat in Cruce, & sepultus, resurgeret, ut esset pri-
mogenitus resurrectionis ex mortuis.

Domine Iesu, quidquid sum gratia tua sum, siue enim viuo, siue mo-
rtuo, aut quid aliud ago ex tua gratia & virtute id sum, quod sum, sum
& operor, & spiro, cum igitur eadem gratia tua efficiente, sim aliquando
de monumento meo exiturus ad diem Iudicij Magni, da obsecro gratiam,
ut in præfenti vitæ per confessionem sinceram, tanquam resurrectionem
primam libenter & crebro exeam de monumento conscientiaæ meæ, ut sic
merear partem in resurrectione secunda.

§. 237. *Venerunt in sanctam ciuitatem. v. 53.*

Haud dubie in primariam illam ciuitatem Ierusalem, ad quam ex va-
rijs mundi partibus, per totum mundum iri solebat qui surrexerant sancti, con-
uenerint, ut annuntiarent Christi mortem & resurrectionem. sicut enim
tenebræ vitæ fuerunt per totum orbem & terræ motus magnus factus est,
ut quisque sanctorum ei, ubi mortuus & sepultus fuerat, regioni esset quasi
obtes & testis gratiaæ, tam in remissione peccatorum, quam iustificatione
iam à Deo præstita ac porto præstanda. Idcirco statuo apud me magni fa-
cere Sanctos utpote à Deo adeo euectus, ut voluerit eos secum resurgere,
colam igitur eos ut Dei magnos amicos.

Deus meus resurrectio mea, & vita, tu solus scis ubi moriar & quo-
modo moriar, obsecro igitur per mortem tuam & resurrectionem
tuam, ut ita moriar, ut in die Iudicij resurgere queam cum sanctis tuis glo-
riosus, & cum ijsdem ingredi in ciuitatem de qua gloriosa sunt dicta, cuius
lucerna est agnus Dei.

§. 238. *Et apparuerunt multis. v. 53.*

Commodissime multis apparuerunt, qui Ierusalem ciuitatem erant
ingressi, utpote ciuitatem, in qua quasi mundus confluerat, ubi & ex omni
gente & natione habitabant, quibus se spectandos exhibebant, maxime
vero notis & discipulis Iesu, alijsque Iudæis necdum ad Christum conuer-
sis, ut eis fidem & resurrectionem Christi persuaderent, quasi eius testes &
præcones, ut ex eorum resurrectione certiores redderentur de Christi re-
surrectione, cogitantes quod si hos suscitauit multo magis se ipsum resus-
citauit.

Deus meus, miserere mei, ut & ego per gratiam tuam excitatus à pecca-
tis, appaream his, quibuscum peccaui, conuersus, & eosdem ad præ-
nitentiam